

Band I., Nr. 141, Seite 166-167

König Ludwig (der Deutsche) bestätigt dem Kloster St. Denis den Besitz der Zellen in Esslingen, Herbrechtingen und Hoppetenzell sowie seiner Güter in der Mortenau und im Breisgau, desgleichen des Marktes und Zollrechts in Esslingen, und stellt alles zusammen unter seinen besonderen Schutz.

Regensburg, 866. Juli 28.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludovvicus divina favente gratia rex. Si liberalitatis nostrae munere locis deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones servorum dei nostro relevamus iuvamine, atque regali tuemur munimine, id nobis, et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam et futurorum, sollertia, quia vir venerabilis, propinquus videlicet et aequivocus noster, Hludovvicus abba, petiit celsitudinem nostram, ut quasdam cellulas sitas in Alamannia: Hetsilinga in pago Nechravve, super fluvium Nechra, ubi sanctus Vitalis confessor corpore requiescit, et Harbrittinga in pago Rehtsa, ubi sanctus Veranus corpore requiescit, et Hadalongcella¹ in pago Heegewa, ubi sanctus Georgius corpore requiescit, ad ius et potestatem monasterii pretiosissimorum Christi martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii pertinentes, quia a reliquis supradictorum martyrum rebus longe sepositae erant, sub nostro munimine et defensione, cum rebus et hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, consistere fecissemus, ut nostrae immunitatis auctoritate deinceps ab inquietudine iudiciariae potestatis ipsae munitae ac defensae fuissent cellulae. Similiter autem et de rebus in Mortonogowa et Brisikagwa, ad praedictum monasterium sancti Dionysii aspicientibus, fieri petiit. Cuius petitioni assensum praebuimus, et hoc nostrae auctoritatis praeceptum erga ipsas cellulas ac supradictas res, immunitatis atque tuitionis gratia, pro divini cultus amore, et animae nostrae remedio fieri decrevimus. Per quod praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus, vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri iuste et legaliter memoratae tenent vel possident cellulae, vel ea quae deinceps in iure ipsarum cellularum voluerit divina pietas augeri, sub quibuslibet illicitis occasionibus, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsarum cellularum, tam ingenuos quam

¹Heute Hoppetenzell, Stockach, KN.

II

servos, super terram ipsarum commanentes, iniuste distringendos, nec ullas redibitiones, nec non et in his quae in Mortonogowa et Brisikagawa preciosus Christi martyr Dionysius iure habere in praesenti videtur, vel deinceps iuste acquirere potest, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat. Similiter et merchatum, quod in praedicta cellula Hetsilinga in praesenti habetur, et quod tempore clarissimi avi nostri Karoli, ac domni genitoris nostri Hludovvici piissimi augusti fuit, sub nostra tuitione volumus consistat; ut nullus de quolibet negotio ex eo teloneum per vim aut per aliquam potestatem auferre praesumat, sed ipsum teloneum et omnia quae supra memorata sunt, cum omnibus sibi subiectis et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, supra dicto coenobio sancti Dionysii, vel monachis ibidem deo deservientibus, in eorum usus nostra auctoritate permaneant sub tuitionis atque immunitatis nostrae defensione, remota totius iudiciariae potestatis inquietudine, quieto ordine valeant possidere, atque pro incolumitate nostra, coniugis ac prolis, seu etiam totius regni a deo nobis conlati, dei immensam clementiam devotius iugiter exorare. Et ut haec auctoritas per futura tempora inconcussam et inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus, et dilecto filio nostro Karolo eam firmare praecepimus.

Signum (*Monogramm*) domni Hludovvici serenissimi regis. Signum (*Monogramm*) Karoli.

Hebarhardus notarius ad vicem Grimaldi recognovi et subscripsi. Data quinto calendas Augusti, anno XXXIII. regni domni Hludovvici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione XIII. Actum Reganesburc civitate regia, in dei nomine feliciter. Amen.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

Archives Nationales Paris

Signatur/Titel des Originals:

K. 14 Nr. 1

Editionen:

Doublet: L'abbaye de St. Denis, S. 784. MARTIN BOUQUET (HRSG.): Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores = Recueil des historiens des Gaules et de la France, 8 Bde. [Nachfolgebände von anderen Herausgebern], 2. Aufl. Paris 1869-74. [ND Farnborough 1967-68], Bd. 8, S. 421. Neugart: Codex diplomaticus, Bd. 1, Nr. 439 (Auszug). Mabilon: De re diplomatica, S. 401 (Faksimile aus Neugart). MONUMENTA GERMANIAE HISTORICA. DIE URKUNDEN DER DEUTSCHEN KAROLINGER, BD. 1: Die Urkunden Ludwigs des Deutschen, Karlmanns und Ludwigs des Jüngeren, hrsg. Von Paul Fridolin Kehr, Berlin 1934 [2. unveränderte Aufl. Berlin 1955], S. 168 f., Nr. 119.

Regesten:

ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 1, Nr. 3. Tardif: Monuments historiques, S. 127, Nr. 195. Regesta Imperii Abt. 1, Bd. 1, S. 619, Nr. 1461.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Regensburg

Ortsindex:

Breisgau

Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)

Esslingen am Neckar, ES

Hegau

Herbrechtingen Wohnplatz (4101)

IV

Herbrechtingen, HDH

Hoppetenzell Wohnplatz (14649)

Hoppetenzell, Stockach, KN

Mortenau

Neckargau

Regensburg, R

Rießgau

Saint-Denis, Dep. Seine-Saint-Denis, Frankreich